



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Canonibus tamen Nicænis modum quendam præscribit Innocentius; quo petitus est ex canone sexto ejusdem Concilij Nicæni. Explicatur locus Innocentij contra pravas aliorum interpretationes, qui de ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Vide lib. 1. c. 10.
5. 6.

Synodus enim Sardicensis nihil statuit de relationibus ad Summum Pontificem mittendis in materia fidei. Itaque synodus illa ab Innocentio laudata non alia est quam Nicæna, cujus ipse mentio facit in initio hujus capituli tertij; ubi ait causas Clericorum, tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, terminandas esse secundum Nicænam synodum ab Episcopis provinciarum, adeo ut non liceat ad alias convolare provincias.

VII. Canonibus tamen Nicænis modum quendam præscribit Innocentius his verbis: *Sine præjudicio tamen Ecclesie Romanæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri.* Clausula illa petita est ex canone sexto ejusdem Concilij Nicæni; quo vetus consuetudo confirmatur pro conservatione jurium Patriarcharum & ceterorum Metropolitānorum, præcipuè verò pro juribus Episcopi Romani conservandis, qui illic expressè nominatur. Quare cum Innocentius pronuntiat synodum Nicænam causas Clericorum superioris ordinis commisisse iudicio synodorum uniuscujusque provinciarum, rectè addidit salvam tamen esse in omnibus debere reverentiam sedi Romanæ debitam, id est, servandam esse auctoritatem primatus Romani ab eadem Nicæna synodo confirmati. Quoniam verò exceptio illa vaga est & generalis, & ad causas Episcoporum & reliquorum Clericorum porrigitur, (hic est enim genuinus sensus horum verborum in omnibus causis) eam Innocentius apertè explicat in iis quæ sequuntur, quæ duo quædam probant, nimirum reverentiam illam versari in jure relationis, & relationem tamen fieri tantum debere in causis majoribus, id est, in controversiis fidei & in dubiis disciplinæ causis. Et quia duo illa capita respicere possunt non solum Episcopos, sed etiam reliquos Clericos, & laicos, rectè scriptum est in initio capituli tertij servandam esse reverentiam Ecclesie Romanæ debitam, id est, mittendam esse relationem ad apostolicam sedem in omnibus causis, id est, in causis & contentionibus quæ inter Clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ. Existimo autem eam explicationem multò meliorem esse ea quæ vulgò huic loco affingitur, verba nempe illa, *in omnibus causis*, nihil aliud significare quam depositiones Episcoporum, quæ dein explicantur, ut aiunt, sub nomine causarum majorum. Nam interpretatio illa violenta est, ac verbis ipsis contraria; quæ, ut dixi, complectuntur causas Episcoporum & Clericorum, quoties eas contingit esse majores.

VIII. Ad faciliorem autem intelligen-

tiam hujus materie, observandum est causas majores sedi apostolicæ reservatas ea tempestate restrictas fuisse ad duo capita superius allata, ad dubia videlicet fidei & disciplinæ, tum depositiones Episcoporum inter causas majores non fuisse relatas tempore Concilij Nicæni, neque deinceps per multum ævi. Harum observationum probatio in promptu est, & manifesta. Constat enim depositiones Episcoporum peragi olim solitas unica Episcoporum auctoritate, juxta canones Nicænos itémque Sardicensis, qui prorsus obtinuerunt in Occidente usque ad tempora Nicolai primi; adeo ut si appellatio non interponeretur, depositiones illæ mandarentur executioni absque auctoritate Summi Pontificis. Præterea Pelagius secundus ad Joannem Patriarcham CP. scribens circa annum DLXXVII. locum hunc ex epistola Innocentij laudans & interpretans, ait unamquamque provinciam habere debere suos iudices, Episcopos nimirum, ut in sua quælibet synodo causas terminet, tam Episcoporum quam aliorum Clericorum, si appellatio non interponeretur. Tum addit majores & difficiles quæstiones referri semper debere ad apostolicam sedem, sicut synodus statuit, & consuetudo exigit. *Majores verò, inquit, & difficiles quæstiones, ut sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad sedem apostolicam semper referantur.* Quibus verbis explicat verba Innocentij: *Majores cause*, id est, *difficiles quæstiones*. In eundem sensum Leo primus, ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem scribens, tum demum causas Episcoporum referendas esse docet ad apostolicam sedem si quid inciderit admodum difficile, ita ut nec à synodo provinciali definiti potuerit, nec à synodo Illyricana: *Si foris inter ipsos qui præsent de majoribus (quod absit) peccatis causa nascatur quæ provinciali nequeat examine definiti, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitānus curabit instruere; & si coram positus partibus nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem quicquid illud est transferatur.* Sanè Vigilus Pontifex Romanus ad Eutherij consulta respondens, ac causas commemorans sedi apostolicæ reservatas, iudicia appellationum Episcoporum & majores causas velut quasdam res prorsus divinas recenset. *Omnium appellantium apostolicam sedem Episcoporum iudicia*, inquit, *& cunctarum majorum negotia causarum eidem sancte sedi reservata esse liquet.*

IX. Præterea, causæ simplicium Presbyterorum, quando de fide agebatur, ad sedem apostolicam referebantur, ut patet ex causa